

cans illius eruditionem, vicissim panem dono mittit,  
amicitiæ & ejusdem communionis symbolum.

Domino fratri unanimo & venerabili, Augustino, Paulinus &  
Therasia peccatores.

Charitas Christi, quæ urget nos, etiam absentes, licet per unitatem fidei  
Calligat, ipsa fiduciam ad te scribendi pudore depulso præstitit, teq; per  
litteras tuas visceribus meis intimavit, quas & de scholasticis facultatibus afflu-  
entes, & de cœlestibus favis dulces, ut anima mea medicas & altrices, in  
quinq; libris interim teneo, quos munere benedicti & venerabilis nobis Episco-  
pi nostri, Alipii, non pro nostra instructione tantum, sed pro ecclesiæ multa-  
rum urbium utilitate suscepimus. Hos igitur nunc libros lectioni habeo, in  
his me oblecto, de his cibum capio, non illum, qui perit; sed qui operatur *Ioh. 6, 27.*  
vitæ æternæ substantiam per fidem nostram, quâ adcorporamur in Christo  
Jesu Domino nostro; cum fides nostra, quæ visibilibus negligens invisibilibus  
inhiat, per charitatem, omnia secundum veritatem omnipotentis Dei creden-  
tem, literis & exemplis fidelium roberetur. O verè sal terræ, quo præcordia *Mat. 5, 13.*  
nostra, ne possint seculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna dignè su- *Ibid. 6, 15.*  
pra candelabrum ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis urbibus de septiformi  
\*lychno pastum oleo lætitiæ læn en effundens, densas licet, hereticorum caligi- \* *Al. line*  
nes discutis, & lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici ser-  
monis enubilas! Vides, frater unanime, admirabilis in Christo Domino & su-  
scipiende, quàm familiariter agnoverim te, quanto admirer stupore, quàm  
magno amore complectar, qui quotidie colloquio litterarum tuarum fruor, &  
oris tui spiritu vescor! Os enim tuum fistulam aquæ vivæ & venam fontis  
aterni meritò dixerim, quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam *Ioh. 4, 14.*  
Christus effectus est, cuius desiderio sitivit in te anima mea, & ubertate tui *Psal. 62, (63.)*  
fluminis inebriari terra mea concupivit. Ideoq; cum hoc pentateucho tuo *2.*  
contra Manichæos me satis armaveris; si qua in alios quoq; hostes Catholi- *121.*  
cæ fidei munimina comparasti, quia hostis noster, cui mille nocendi artes, *Virgil. 7.*  
tam variis expugnandus est telis, quàm oppugnat infidiis, quaeso, promere mihi, *Aeneid.*  
de armamentario tuo, & conferre non abnuas arma justitiæ. Sum enim la-  
boriosus, & jam nunc sub magno \* onere peccator, veteranus in numero pecca-  
torum; sed aeterno Regi novus in corpore tiro militiæ. Sapientiam mundi miser  
huc usq; miratus sum, & per inutiles litteras reprobatamq; prudentiam Deo  
stultus & mutus fui. Postquam inveteravi inter inimicos meos, & evanui in  
cogitationibus meis, levavi oculos meos in montes, ad præcepta legis & gra- *Psal. 120.*  
tiæ dona \* suspiciens; unde mihi auxilium venit à Domino, qui, non se- *(121.) 1.*  
cundum iniquitates retribuens, illuminavit cœcum, solvit compeditum, humi- *\* Al. sus-*  
liavit erectum male, ut erigeret humiliatum piè. Sequor igitur, non equis *ciens*  
adhus